



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola XLIV. Gregorii Papae I. Ad Andream Epsicopvm Tarentinvm. De concubina eius: & muliere de Matriculis verberata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

EPISTOLA XLIV.

GREGORII PAPÆ I.

AD ANDREAM EPISCOPVM TARENTINVM.

De concubina eius : & muliere de Matriculis verberata.

Gregorius Andreæ episcopo Tarentino.

Grat. dist.
33. cap. 1.
Iuo pat. 5. c.
3. 16. Dur.
lib. 1. c. 195.
Ioan. diac.
lib. 3. cap.
43.

Iuo p. 10. c.
23.

TRIBVNAL iudicis æternis securus aspiciet, quisquis reatus sui conscientia digna eum modo pœnitentia placare contendit. Habuisse te siquidem concubinam manifesta veritate comperimus : & te illius criminis participationem habere. De qua etiam contraria est quibusdam nata suspicio. Sed quia in rebus ambiguis absolutum non debet esse iudicium, hoc tuæ conscientiæ elegimus committendum. Qua de re si in sacro ordine constitutus eius te per mixtione esse recolis maculatum, sacerdotii honore deposito, ad administrandum nullo modo præsumas accedere; sciturus in animæ tuæ periculo te ministrare, & Deo nostro sine dubio te reddere rationem, si huius sceleris conscientius, in eo quo es ordine, celans veritatem permanere volueris. Vnde te iterum adhortamur, ut si te deceptum antiqui hostis calliditate cognoscis, competenti eum, dum licet, pœnitentia superare festines: ne cum eo particeps, quod non optamus, in die iudicii deputeris. Si vero huius reatus tibi conscientia non es, in eo te neceſſe est quo es ordine permanere. Præterea quoniam mulierem de Matriculis contra ordinem sacerdotii cædi crudeliter fustibus deputasti; quam licet post octo menses exinde minime arbitramur fuisse defunctam, tamen quia ordinis tui habere noluisti respectum, propterea duobus te mensibus ab administratione Missarum statuimus abstinere. In quibus ab officio tuo suspensum, flere te conuenit quod fecisti. Nam valde dignum est, ut postquam te ad vitæ istius tranquillam restitutionem laudabilium sacerdotum exempla non prouocant, saltem correptionis medicina compellat.